DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA.

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VI. FEBRVARII.

M. IOANNE HAMON Doctore Medico, Præſide.

1092

An actio ſine ſpiritu?

ITA natura in opere eſt, vt ab agendo deſinat tantùm, cum eſſe deſinit: nam cum corpus noſtrum in perpetuo quodam fluxu poſitum ſit, conſeruari non poteſt, niſi continuâ ſuccedentium ſibi auxiliorum propagatione firmetur. Hinc partes omnes ſic inter ſe aptæ & connexæ ſunt, vt ſibi inuicem congruant, & nulla à communi vtilitate recedat. Quod enim in ciuitate bene conſtitutâ contingit, penes quaſdam imperij authoritas, aliæ velut adhibitæ comites & miniſtræ, quarum operâ partium principum beneficium latiùs extenditur; quædam tantum priuatæ, omnes inter ſe omnium rerum ſocietate coniunguntur. Cor Cerebrum & Hepar principem locum tenent; Hepar ſanguinem, hoc eſt mareriam vitæ; Cor vitam ipſam ſuppeditat; à Cerebro omnis ſenſuum diuerſitas & motuum proficiſcitur; ita ſenſus & motus coniuncti origine, neceſſitate pares, impendentes caſus arcent & vitam tuentur aduerſus periculum præſens: neque enim potuiſſet vitari quod non ſentiretur, fruſtrà vero ſentiri contingeret, quod immoto animante declinari non poſſet; at cum corpus non tantùm in offenſiones externas incurrat, ſed internis etiam iniuriis obnoxium ſit, & in ſe habeat vnde ægrotet, collectis ſuperfluitatibus facile obrueretur, niſi ipſo ſenſu acerbitatis & moleſtiæ ad deponendum onus excitaretur: vnde crebra neruorum toto corpore pertinentium implicatio, vt proinde ſenſus omnis tam à cerebro ſit, quam à corde omnis calor. Cum enim nulla pars vitâ fruens omnis caloris expers haberi poſſit; nulla etiam eſt, quæ ſibi ſit origo caloris; caro quidem non ſine calore eſt, ſed quem ab arteriis acceperit; calorem arteriæ & ſpiritum in omnes corporis partes deducunt, ſed beneficio cordis, non ſuo. Cor vitæ fons & caloris velut domicilium. Vltimum moritur & primum viuit. Ad mortem illi ſatis eſt non moueri Niſi excellenti prorſus ſanitate fruatur, non bene valere putandum eſt. Cum enim aliæ partes mediocritate quadam caloris contentæ ſint, cor frigidum eſt, ſi non ferueat. Neque verò priuatìm ægrotat, proprium illius vitium, fit corporis morbus; & quidquid in eo ſiue ad exitium valet ſiue ad vitam, corpus mox ſentit vniuerſum. Quamuis autem aliis partibus ea quæ ad vitam neceſſaria ſunt ſubminiſtret, non tamen à ſe ipſo ſumit vnde nutriatur, ſed alimento alieno indiget: ſanguinem quidem pulmoni ſuppeditat, at quia ſolidiorem exigit, habet à venis: ipſa quoque cordis conſeruatio non minus pendet ab externi aëris præſidio, quàm à corde ſalus aliarum partium. Aër vero non recens & vt hauſtus eſt in intimos cordis ſinus ingeritur, ſed conuenienti prius morâ, in pulmonum anfractibus deponit, quod erat cordi nociturum, accommodaturque naturæ, vt illius operi aptus ſit & idoneus. Nihil enim ſtatim prodeſt & quidquid immaturam vtilitatem affert, in damnum vertitur.

PARTIVM corporis cognitio θεολογίας ἀκριβὲς ἀρχή. Niſi inter ſe conſentirent & mutuam ſibi præſtarent operam, non vnum in vnoquoq; animanti corpus eſſet, ſed multiplex Actionum & affectionũ neceſſaria ſocietas, facit vnum; partes enim quæ vel precipuæ videri poſſunt, egēt aliarum conſortio; quo ſi priuari contingat inutiles fiunt; nec ſola igitur pars eſſe poteſt in agendo, nec ſola in patiendo; nulla ſibi tantũm agit, vt nulla ſibi patitur tantũm, ſed communicatis inuicem vtilitatibus & damnis, infinita quædam oritur συμπάθεια: eôdem enim omnes calore viuunt: eôdem ſpiritu ſentiunt & mouentur; omnibus bene & male valendi cauſæ communes. Alimenti in naturam tranſeuntis nulla pars viuit, antequam connectatur corpori. Nulla pars corporis viuit, poſtquam amputata eſt. Nulla ſuo munere fungitur, quæ cum reliquis non conſentiat. Si vel minima pars deſit, corpus non eſt integrum: non eſt ſanum, ſi vel vna ægra ſit. Mira omnium copulatio, conſentiens & conſpirans omnium cognatio. Hoc tantùm dolorem infert corpori, quod ſoluit compagem partium: non dolent niſi vnde diuiduntur. Quò pars nobilior, eò faciliùs aliarum dolore angitur: in morbo totius quæ non afficitur, peius ægrotat; quod ægrum eſt in corpore, per aliud reſtituitur quod ſanum eſt: vnde nulla homini ſpes qui totus ægrotat. Nulla pars curatur ſola. Vt oculo proſpiciamus, capiti conſulendum eſt; vt caput curetur, inſtituenda totius corporis curatio: in partis exiguæ leuamentum membrorum ſanguis funditur, & priuata plenitudo communi iacturâ venarum omnium emendatur. In mutuâ hac agendi patiendique communione, natura vertitur. Etiam quæ ob diuerſitatem officiorum naturâ magis diſiuncta videri poterant, arcto ſocietatis vinculo coniunguntur. Aliquid neruorum ſubtili minutiſſimarum fibrarum cõtextu arteriis ineſt. Cordi cerebrum ſicut reliquo corpori neruos largitur; cor cerebro arterias tranſmittit, quod firmiſſimum genus eſt ſocietatis, quæ dandi accipiendique communi neceſſitate adſtringitur. Quædam vero partes ferè tantum aliarum cauſâ videntur conſtitutæ, nulla tantum in gratiam ſui: ventriculus laborat vniuerſo corpori, & malè eſt illi cum ocioſus eſt; ceſſatione ſuâ (quæ mortem inferre poteſt ſi diuturna ſit) prior ipſe corrumpitur: nunquam ſibi vtilior, quam cum maximè aliis prodeſt: aliis ſemper inutilis, cum ipſe non valet; alimentum enim ſanum & vtile aliis partibus præſtare non poteſt, pars quæ ipſa ægra ſit. Eadem partium ratio quarum vſus communis totum corpus ſpectat: interiectæ vero carnes & quæ ſibi magis vacant, confecto alienis impenſis alimento fruuntur ad vitam: quod vnicuique magis aptum aſſumitur vt illi adhæreat, adhæret, vt elaboretur perfectius, elaboratur, vt totum toti reſpondeat & perfecta ſimilitudo quantûm fieri poteſt, adiungatur: ſi quid naturam non induit, ne ſit oneri expellitur; in alimento enim vel vtiliſſimo ineſt ſemper aliquid quod non eſt alimentum, nullumque quod omni ex parte nutriat, τροφὴ οὐ τροφή: ideoque pars aſſumitur pars relinquitur; hoc opus quarumcumque partium omni alio opere carentium: ſic partes nutriuntur & creſcunt, ſic adultis viribus corpus robuſtum confirmatur, vt iam generationi poſſit eſſe idoneum: quod etiam valet in plantis, quæ tum ferunt ſemen, cùm in ſuo genere perfectæ ſunt.

QVIDQVID nobilius in corpore, intus eſt: & quod magis præcipuum eſt, magis latet. Viſcera naturæ prouidentia occultauit: ſpiritus in penetralibus fiunt, arteriæ venis ſubiiciuntur, minus ſecuræ ſi eminerent: duplex illis membrana, vt vitalis ſpiritus qui facile euaneſceret, niſi firmius contineretur, operi ſuo ſeruetur integer; motum cordis ſequuntur prout fert natura originis, & pulſationes edunt, quæ ſine periculo non intermittuntur, diſtinctis quidem ſed paribus coniunctas interuallis: vt enim cor ſine motu, ita & ſine quiete eſſe non poteſt. Sanguis ſubtilliſſimus in omnes corporis partes arteriis miniſtrantibus deducitur, vt nulla ſit quæ cordis beneficio careat, cuius præſentiam exhibent aduecto ſpiritu: ſi deſinat influere, qui antea influxerat non ſufficiet: ſuſtentandæ naturæ auxilium ſemper præſens requiritur: cum enim ſanguini nullum inſit principium motus, per ſe nullam vitæ partem tribuere poteſt animantibus, niſi aliunde perficiatur: neque vero ipſe per ſe ad partes remotas appelleret, calore orbatus & ſpiritu; neque iam intra partes ipſas concluſus ad vitam aſſumeretur, niſi fouente ſpiritu. Cum enim calore illo tam neceſſario & ſpiritu priuatus eſt, quocumque peruaſerit, præſens infert exitium & habet veneni vim: quin partes ipſæ eodem deſtitutæ præſidio collabuntur & emarceſcunt, tantum abeſt vt nutriantur & creſcant: nullum ergo ſine calore alimentum vel leuiter immutari poteſt, nedûm perfici. Vt vel optimi cibi nobis vtiles eſſe poſſint, intus concoquendi ſunt: quod abſque calore & ſpiritu fieri nullo pacto poteſt. Tum enim magna eorum vis elucet præcipue, cum aliquid priori naturâ ſpoliandum eſt, vt aliam induat: quamobrem non ſolum ventriculus ſuis ipſe arteriis conſtat, ſed vicinarum partium vndequaque incumbentium, quarum nulla arteriis caret, ampliori calore fouetur: nec aliam ob cauſam lien ipſe quam plurimas pro ſui magnitudine arterias nactus eſt, niſi vt fæcem ſanguinis, cuius receptaculum eſt, purgatis ſpiritu abundantiori ſordibus, in perfectius alimentum conuerteret. Vnde merito vis hæc naturæ cenſeri poteſt, ſine qua ne quidem natura ſit: ſpiritum enim hunc ſupplere nihil valet, & fruſtrâ quiduis aliud non deeſt, quando ipſe defuerit: ſi quid interdum in corpore ſit calore illo potentius, vt ab eo proinde ſuperari non queat; id ægrum & morbi cauſa fiet, ſi non occurratur: ſanum enim tantùm quod à calore vincitur, & intra naturæ ordinem retineri poteſt. Quò verò longiùs à corde receditur, calorem neceſſe eſt infirmiorem fieri, langueretque tandem, niſi in cor ipſum aduectus, vim ſumeret in loco originis; cum enim venæ poſtquam arteriarum fines vltimaſque velut oras attigerint, communi aditu inter ſe pateant, hinc fit vt ſanguis illas fauces & anguſtias prætervectus, per venas iterum fluat, ſed lento motu & non præcipiti. Non carent venæ ſpiritu, ſed is infirmior & qui potentiori indigeat, ſufficit tamen ad aliquem motum, quo ſanguis priuari non poteſt, niſi putreſcat.

NEC ſpiritus in corpore ſine calore eſt, nec calor ſine ſpiritu: ſed cum non vno genere actionum vita noſtra contineri poſſit, ideo ſpiritus multiplex. Qui ſenſum & motum impertit, in eas corporis partes defertur, quas ſentire & moueri oportuit: non enim omnium eſt ſenſus. Quaſdam tantùm ad firmamentum aliarum & ſecuritatem conſtituiſſe videtur natura, quæ ſæpius collectis humoribus implentur, quo nihil redundet in aliis; nihil hæ ſentiunt, ſed impotentiâ ſui: oſſa firmitate non ſentiunt: cum enim tanquam fundamentum ſubiiciantur corpori, eiuſque molem ſuſtineant, non ſentire, pars illis eſt ſanitatis. Impertiendi ſpiritus non eadem menſura, aut quæ moli partium reſpondeat, ſed inſtituto naturæ. Non magnus neruus tribuitur interdum maioribus muſculis, cum oculi valde exigui, multorum ſpirituum luce ſplendeſcant. Vehementiorum frequentiorumque motionum neceſſitas maiores neruos, & copioſiorem ſpiritum obtinuit: omnis motus qui ab eo non profectus ſit, morbus eſt: qui plus habeat periculi quò vehementior ſit Oculis hic ſpiritus explorari non poteſt, ἄψοφον γὰρ ὄψει καὶ ψαύσει; nec ſentitur cum omnem ipſe ſenſum in corpore perficiat; ita per neruos defertur, vt patentiores ductus non requirat, quia ſubtilitati tantæ nihil clauditur: ſi quid tamen alienum interponatur quod penetrari omnino non queat, in valentioribus quoque membris labefactabitur motus: ſentire enim quam moueri faciliùs, & motus abundantiorem ſpiritum deſiderat. Si vero ſpiritui nullus pateat aditus, etiam ſenſus amittitur. Spiritus valentiores ſeruantur cerebro actionibuſque perfectiorum ſenſuum, qui prout varij ſunt diuerſiſque conſtant organis, idem ſpiritus magnæ quidem ſed conuenientiſſimæ diſſimilitudinis artifex, diſtantiſſimas edit actiones: quidquid vero in ſpiritu ſplendidius, non exit in ſenſum; ſed intus memoriæ & rationi inſeruit, cuius vim in corpore modumque omnem, vt & alias naturæ latebras, qui ſe omnino percepiſſe credit, non ſatis intelligere videtur quanta ſit Dei creantis ſapientia, aut quanta dubitantis hominis infirmitas. Quamuis autem ſtare ſpiritus non poſſit, omni tamen violento motu & alieno offenditur. Hinc Cerebri quies ſapientiæ idonea; cum naturalis ille ſed incognitus pulcherrimarum motionum ordo, nec calore nimio impellitur, nec frigore retardatur, nec humoris abundantiâ ſiſtitur & velut in luto hæret, nec obſcuratur vaporum fumo & caligine, aut nimiâ externarum ſpecierum efficaciâ auocatur.

VNIVSCVIVSQVE motus in corpore vnum tantûm principium eſt: hinc cum omnes etiam animantes aliquam partem duplicem habeant, nulla eſt cui cor geminum ſit, aut duplex caput. Vtrinam tribuendus ſit principatus, inanis quæſtio eſt: cor aliarum partium miniſtrum magis quâm regem dixerim. Sola in corpore dominatur vtilitas. Nec cor cerebro ſubiicitur, nec cerebrum cordi: aut quod veriùs, ſibi inuicem ſubiiciuntur & vtrũque pendet ab altero, licet in ſuâ cuiuſque prouinciâ vis abſoluta ſit; ineſt tamen cordi maius momentum ad vitam: eadem ſpirituum ratio, quorum ſunt certi definitique limites: omnes tamen ad generationem concurrunt, quorum in hoc opere præcipua laus eſt. Actio hæc non animæ ſibi paranti domicilium, ſed ſpiritui generanti tribuenda eſt: qui non minus magni operis initium primoſque exortus, quâm progreſſum & finem ſibi vendicat. Vt enim ſine ſpiritu conſeruari non poteſt, ſic neque formari. His rudimentis naturæ & velut incunabulis, omnis conſequentium ætatum valetudo connectitur. Neque enim emendari principia poſſunt, vt quod ad ſanitatem ſpectat, corpus quodammodo hic eſſe incipiat, quidquid poſtea futurum eſt: aër vero, poſtquam in lucem editum eſt, non parce aut per alienas ingeritur arterias, ſed abundantior & velut ex fonte, cor recreaturus intromittitur; incipitque apertâ iam & non amplius ceſſatura reſpiratio: ſic ſpiritus omnes vitæ partes complectitur, actionum omnium author & velut princeps, vitæ initium & finis. Mentitur quidem ſpiritum flatus, ſed facile diſiunguntur. Spiritus origo virium; flatus cauſam in ſe doloris continet: non creſcit pars dum intumeſcit, ſed propior morbo eſt, ἐκ αὐξήματος εἰς οἰδήματος; at quantacunque ſit copia ſpirituum, ab iis impletur membrum non attollitur: flatus ſeparare poteſt quæ coniuncta ſunt, ſpiritus partes etiam naturâ diſiunctas inter ſe coniungit, mutuæ ſocietatis vinculum, fons & origo συμπαθείας. Nullâ re magis impediuntur ſpiritus, quam plenitudine; cum enim humorum copia ſpatium omne impleuerit, penuriâ loci excluduntur, ſed damno ſanguinis, qui cum ſolus eſt, vitium concipit, naturæ non amplius ſubſidium, ſed onus atque pernicies. Motu excitantur, ocio torpeſcunt, immodico labore exhauriuntur, quem grauitas ſubſequitur totius corporis: quamdiu enim ab iis ſuſtinetur, nullâ infirmatur laſſitudine; cum ſibi relinquitur, onus ſuum ſentit, quod ferre non poteſt; niſi tamen adſit morbus, hæc ipſa laſſitudo ſomnum conciliat, ſpiritui reparando imprimis idoneum; illius conſeruationi nihil opportunâ quiete vtilius; fruſtrà verò quieſcunt membra, non ſedato animi impetu variiſque perturbationibus, quibus omnis ſpirituum harmonia euertitur; præter quietem corporis neceſſe eſt, ἐν ἡσυχίᾳ ἔχειν, luctu & mœrore contrahuntur, diffunduntur gaudio, ſed immodicâ voluptate tota eorum vis ſoluitur: nocet illis quidquid nimium eſt, aut alienum à naturâ corporis. Vitam calor & ſpiritus conſtituunt, vires vtriuſque abundantia & perfectio: quamdiu valent, incorrupta ſanitas eſt; ſi damnum patiantur, labefactantur vires, quarum remiſſio patefacit aditum omnibus morbis. Corde enim optime conſtituto, ſi caloris robur inſit & vigeat ſpiritus, fieri non poteſt vt moriatur animal; nec rurſus fieri poteſt vt viuat, ſi omnino violentur. Denique cum accenduntur ſpiritus, febris eſt: cum inficiuntur, peſtis: cum diſſipantur, ſyncope: cum intercipiuntur, παραλύσεις & ἀποπληξίαι: cum imminuuntur, languor animi & corporis: cum extinguuntur, interitus. In actionum infirmitate via quædam ad mortem ſternitur, ſed omni actione priuati, ipſa mors eſt.

Non ergo actio ſine ſpiritu.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Abrahamus Theuart.
M. Nicolaus Lienard.
M. Philippus Douté.
M. Nicolaus Morin.
M. Carolus Patin.
M. Philippus Chartier Med. Reg.
M. Sebaſtianus Rainſſant.
M. Nicolaus Brayer.
M. Cyprianus Hubaut.

Proponebat Lutetiæ CAROLVS DE LAVAL Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LIX.